

nis, immo pro bono et bona intentione datum, aliquem habeat vel in causa vel in effectu reatum, cum dare nisi causa mali numquam malum sit, sed dare causa boni semper bonum sit. Sicut autem pro dispensatione vel defensione pecuniam utiliter et honeste¹ dari posse pro nostre simplicitatis imperitia utcumque ostendimus, sic et pro consecratione interdum pecuniam sine culpa dari posse forsitan stulte putamus. Cum quis cura maioris aut minoris² ecclesie legitime, ut dicitur, accepta sacerdotalem³ gradum⁴, per quem⁵ cura animarum⁶ gerenda est, gratis optinere non potest, et alius, qui vicem eius gerere sufficiat, sacerdos deest, multo⁷ melius, immo necessarium insipientiae meae videtur, ordinatoris fastidium vel torporem aliqua exhibitione cuiuscumque servitii ad laborem ordinandi excitare⁸, quam commissum pastoralis⁹ provisioni¹⁰ <gregem> incuratum pati deperire. Ut autem huius sermonis nostri impericie ioci¹¹ quoque levitatem qualiumcumque comparatione interponamus: si tibi aliquis oves committeret ad custodiendum et tu¹² virgam et baculum non habens precio tibi¹³ aliquo comparares, numquid propter datum a te precium aut virga inutilis foret ad dirigendum aut baculus non robustus satis ad gregem defendendum in se deficeret¹⁴? Numquid regimen talis virge grex pusillus sive magnus propter memoratum venalitatis elogium minus timeret, aut lupo empto baculo percussus minus lederetur, lesusve minus doleret? Sed sicut propter emptiorem nec virga nec baculus desierunt quod naturaliter fuerunt, sic nec effectum naturalem aut quicquid per eos fieri potest¹⁵, tam nature possibilitate quam hominum officiositate amisisse putandi sunt¹⁶.

1) 'bē'. 2) 'maioris aut minoris cura' corr. 3) 'sacerdotale'. 4) 'officium' corr. 5) 'quod'. 6) 'animorum' corr. 7) Nach 'multo' über der Zeile .|—. 8) 'exercitare' corr. 9) 'pastorem' corr. 10) 'provisione'. 11) 'loci'? 'leci'? 12) Ueber der Zeile nachgetragen. 13) Ueber der Zeile. 14) 'in se deficeret' am Rande nachgetragen. 15) Am Rande 'potuit'. 16) Hierzu Folgendes am Rande nachgetragen: 'Cum igitur per pecuniam ordinans et ordinatus proprii gradus periculo subiacere legantur, cauta hoc consideratione sic perpendendum pro mea impericia existimo, ut videlicet per pecuniam ordinatus ambitiose ad ordinationem aspirasse intelligatur (intelligentur Hs.), et per pecuniam ordinans non consideratione meriti, sed cupiditate precii ordinare quemlibet accipiatur, quod utrumque plane symoniacum esse nemo nisi imperitus negare audeat, nemo nisi expertis rationis vel in questionem mittere praesumat'. Es ist offenbar kein Nachtrag zum Text, sondern eine Bemerkung, die ein Leser in das Original eingetragen hatte, und die vom Abschreiber mit kopiert worden ist. Während bisher der Nachweis zu führen versucht wird, dass, je nach den